



# **Dissertatio medico-practica inauguralis de insitione variolarum**

<https://hdl.handle.net/1874/291136>

DISSERTATIO MEDICO-PRACTICA  
INAUGURALIS  
DE  
INSITIONE VARIOLARUM,

QUAM,  
AUSPICE DEO OPTIMO MAXIMO

*Ex Auctoritate Rectoris Magnifici,*

JOANNIS DAVIDIS HAHN

Philos. & Med. Doct. Philosophiæ, Physices Experimen-  
talis & Astronomiæ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, atque  
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA honoribus &  
privilegiis ritè ac legitimè consequendis,

*Eruditorum Examini submittit*

THOMAS FREWEN, ANGLO-BRITANNUS.

*Ad diem 17 Julii, H. L. Q. S.*

---

---

TRAJECTI AD RHENUM,  
EX OFFICINA IOANNIS BROEDELLET,  
ACADEMIAE TYPOGRAPHI. MDCCLV.



DISSERTATIO MEDICOBALNEA  
IN AUSTRIA

INSTITUTIONE VARIORUM

AUSTRICAE

JOHANNES BAYRISCH

TRIGER

PROFESSOR IN MEDICINA  
ET CHIRURGIA  
IN AUSTRIA

THOMAS BREWER  
AUSTRIAE

HAEREDITARIUM

ACADEMIAE

ACADEMIAE TYRONENSIS  
IN AUSTRIA



CONSANGUINEO SUO  
DILECTISSIMO  
AMICO INTEGERRIMO,  
THOMAE FREWEN,  
ARMIGERO,

HANC DISSERTATIONEM  
IN SINCERI AMORIS TESTIMONIUM  
SACRAM FACIT  
THOMAS FREWEN.



PRÆFATIO

DILECTISSIMO

AMICO INTERVENIO



THOMAS FRIEWEN

ARMIGERUS

IN SINGULIS AMORIS TESTIMONIUM

SACRAM FACIT

THOMAS FRIEWEN

IN SINGULIS AMORIS TESTIMONIUM

SACRAM FACIT

THOMAS FRIEWEN

IN SINGULIS AMORIS TESTIMONIUM

SACRAM FACIT

THOMAS FRIEWEN

IN SINGULIS AMORIS TESTIMONIUM

SACRAM FACIT

THOMAS FRIEWEN


IN SINGULIS AMORIS TESTIMONIUM

SACRAM FACIT

THOMAS FRIEWEN



# PRÆFATIO.

 *tempore, quo Cl. Maitland artem in-  
culandi Variolas induxit, in variis Ma-  
gnæ Britanniaë partibus ipsius praxis in-  
stituta fuit. Verum est, in initio novi hujus in-  
venti multos contrariantes, ipsique adversantes ex-  
titisse; nihilominus statim alii doctissimi fuere Me-  
dici, inter quos eminent Doct. Jurin, Fuller, &  
Mead, qui hanc artem ita defenderunt & firma-  
runt, ut nunc extra omnem dubitationis aleam po-  
sita sit. Præcipue si observamus, felicem in curan-  
do successum, bene stabilitam theoriam, immediate  
subsecutam esse. Qui felix successus me quoque te-  
nui mea in praxi per varios annos concomitans, le-  
vem mihi dat expectationem, observationes meas  
ventilandas, orbi literato in solemni hac occasione non*



P R Æ F A T I O.

fore ingratas, imprimis quum celebris hujus Aca-  
demie mos & consuetudo optima, specimen aliquod  
diligentiae vel eruditionis, ad summos in arte hono-  
res rite consequendos, requirat. Quare observatio-  
nes meas, haectenus factas, simplicissimo, non prout  
vollem, sed prout possum, modo proponam.





---

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
VARIOLARUM  
INOCULATIONE.



Methodus inserendi variolas per triginta quatuor annos in Magna Britannia jam dum usitata fuit. Quæ diuturna & constans praxis cuilibet facile ostendit, medelæ hujus partem theoreticam tam bene probatam & fulcitam esse, ut merito actum denuo ageremus, si multi & copiosi circa hanc partem esse vellemus. Referre curiosos liceat ad plurimos, qui accurate & subtiliter de hac re egerunt, auctores. Spatio quoque & tempori parcere liceat, in danda definitione & divisione variolarum consumendo. Pro varia ipsarum natura, sufficiat & id nobis, quod vere ab omnibus supponitur, variolas originem suam deducere ex pestilenti aliquo veneno latente



atque sanguini in habitante, quod, quamprimum externa aliqua causa evidenti, vel ex certa aëris coelique constitutione commovetur, in his citius, in illis serius, erumpit: experientia quoque, optima magistra, discimus, feliciorum eos sortiri eventum, qui ab ineunte statim ætate morbo hoc inevitabili afficiuntur; rarissima enim est avis, ut quis maturus & ætate provectus benignè à fatali hoc morbo excipiat, unde manifesto apparet, materiam hanc venenatam quotidie cum ætate increfcere, seque copiosius per sanguinem difundere, cutem quoque multo durioribus eruptionibus externis, ad pustulas & ulcerationes necessariis, sine prævia præparatione locum difficiliter vel iusto tardius dare.

Aliis quoque seculis notio & opinio adeptorum nostrorum philosophorum reservata maneat, qui nimia subtilitate arcanum se invenisse existimant, & palam profitentur, causam non tantum variolarum, sed aliorum quoque morborum sitam esse in ovulis insectorum vel animalculorum, quæ se recondant in crinibus porisque corporis humani, seque tali modo propagent & materiam morbosam dispergant; cum enim sensus nostri fallant, & hoc nostro seculo idonea nondum habeamus  
ad-



## I N A U G U R A L I S.

adminicula, quibus ovula ista clare & perspicue de-  
tegamus, merito sequentibus seculis hæc opi-  
nio relinquitur, quæ idoneis instrumentis & admi-  
niculis inventum hoc confirment atque clara in  
luce collocent. Potius in his subsistamus, pote-  
states naturæ verasque causas omnium rerum ni-  
mium esse difficiles & abstrusas, quam ut a quo-  
quam mortali resolvantur, summumque Numen  
id potius sibi reservasse.

Difficultates satis nodosæ nobis se offerunt in  
rerum effectu, etiam ibi, ubi per sensus clare  
res discernere & distinguere valemus, exemplo sit  
venenum istud variolarum quod non nisi semel in  
quolibet mortali per totum vitæ cursum semet ex-  
ferat. Idemque patet, si perpendamus, quomodo  
variæ variolarum species, quæ nullo modo ex mate-  
ria infectrice & venenata oriuntur, quum eam sem-  
per esse eandem contestatum sit, sed potius ex di-  
verso hominum temperamento originem suam de-  
ducunt, quomodo, inquam, diversæ illæ species ex  
una eademque materia diversis in subjectis oriantur.

Omne id, quod clare demonstrare possumus,  
in eo consistit, quod materia infectrix, per incisio-  
nem applicata, sit instar olei igni adfusi, & pro-  
ducat talem variolarum speciem, qualem fomes



morbi in corpore infecto in se continet; quæ quoque cognitio nobis sufficere potest, quum hinc necessarias cautelas adhibere possumus, ad corpora, quibus inferendæ sunt variolæ, justo modo præparanda, & idonea curationi reddenda.

Hæc sunt quæ præmittere necessarium duximus, antequam ad methodum operationis, & curationis hujus morbi procedamus. Operatio tam simplex & plana est, atque a viris doctis toties jamdum descripta, ut & hoc negotio supersedere possimus, introductionis tamen causa hanc operationem, quanta possumus brevitate, addemus.

Nullius videtur esse consequentiæ, in qua corporis parte incisio fiat, quum applicatio materiæ ulcerosæ in qualibet corporis parte eundem producat effectum, locus tamen præprimis aptus in brachio esse videtur in divisione musculorum, ubi cauteria præscribuntur, quæ incisiones ad effluxionem instar cauteriorum apertæ per aliquot tempus conservari possunt ope pisorum, emplastrorum adhærentium, & ligamentorum.

Incisiones debent esse leves, earumque longitudo instar orificii in venæsectione, cui orificio parva puris copia in linteo molli magnitudine pisi  
mino.



minoris, applicato emplastro communi, ingerenda, & ligamentis annectenda est. Spatio autem viginti quatuor horarum linteum istud molle tolli potest, & vulnus communi emplastro semel bisve qualibet die, vel & sæpius pro rerum circumstantia, religari.

Quantitas puris nihil denique ad rem facit, dum minima guttulæ pars linteo applicata sufficit, ac voto respondet. Experientia quoque convictus sum nihil interesse, à quam variolarum specie puris illius minima quantitas sit desumpta: Novi enim viginti & unum, quibus eadem die pus malignarum variolarum inferebatur, quique omnes tam propitio modo variolis affecti erant, licet is, à quo pus desumptum erat, ipse moriretur, ac si pus variolarum benignarum adhibitum fuisset. Confirmatur itaque doctiss. Doctoris Mead sententia, quando dicit *de variolis & Morbillis p. 84. plus mea opinione refert in quale corpus infundatur, quam de quali eximatur pestilentia virus.* Anni partes & tempora aliis præferenda esse, nemo dubitabit, atque ipse expertus sum tempestatem molliorem, aeremque temperatum, multum conferre ad morbi hujus faciliorem proventum & exitum.

Mate-



Materia purulenta, quæ in corpus sanum ab infecto transfertur, tum colligenda est, quum ad supurationem atque maturitatem pervenerit; licet interdum pus nondum maturum, sed plane limpidum, & aquosum, eodem cum effectu adhiberim, hac sola cum differentia, ut tardius sanguinem vel corpus affecerit, quam maturum fecit. Die autem decimo septimo vel octavo pus satis consistens & maturum a corpore inoculato comparari potest.

Quamdiu autem materia purulenta scopo inferre possit, nondum penitus expertus fui: certum interim est, eam tamdiu scopo respondere, quam diu consistentiam suam in pustulis retinet; partem puris semel è pustula pedis applicandam sumsi, materia jamdum in superiore corporis parte per aliquot dies penitus exsiccata, quæ effectum eundem ut alias protulit; sæpius quoque, cum variolæ rariores fuerant, quam ut materiam prospicerent purulentam, bono cum successu excretionem incisionis defervescente jam morbo adhibui; fateri tamen debeo, me semel in experimento instituendo deceptum fuisse, cum scilicet, variolis jam dum per octo decemve dies exsiccatis & sanatis, excretionis copiose affluentis partem adhibere voluerim;

isto



isto enim a tempore, uti suppono, venenum suum penitus jamdum amiserat; cum interim hic homo inter sex alios eadem in domo decumberet, naturali & ordinaria via variolis afficiebatur; qui eventus me penitus convincit, hos etiam variolarum insitione correptos, in quibus levia admodum morbi symptomata comparebant, quique nullas plane pustulas externa in cute habebant, nullo amplius subesse periculo, ut morbum hunc altera vice recipiant; circumstantiæ enim nullum relinquunt dubium, hunc hominem, inter inoculatos discumbentem, naturali ab iis via infectum fuisse.

Materia quoque purulenta in linteolo diutius conservari potest, venenatam enim & infectricem suam naturam non adeo propere deponit, quod penitus constabit ex relatione D<sup>ni</sup> Dutton, Chirurgi, qui, ut mihi referebat, inopinato variolas foeminae cuidam inferebat venæ sectione; eodem nempe phlebotomo, quo ante novem dies pustulam puris colligendi causa secabat, non bene deterso nec penitus mundato, venæ sectionem instituebat; ad quam foeminam duabus ab illinc diebus vocatus, vulneris orificium minime clausum, sed induratum & inflammatum, simili plane modo ut incisiones post inoculationem apparent,

B

inve-



invenerat, symptomata quoque variolarum ordinaria paulo post accedebant, quæ demum ipsæ variolæ admodum benignæ subsequerentur, orificium vulneris postea, sublato veneno, naturali modo sanabatur. Sexta ab inoculatione die intensio ruboris in facie, rutilusque color aliaque symptomata communia oriuntur, quæ quotidie crescunt, donec in morbo ipso eventum suum fortuntur per eruptiones, ut plurimum nona die, interdum quoque citius vel serius pro variis vel temperamenti vel tempestatis aërisque circumstantiis. Tres quatuorve dies complent productionem pustularum in cutis superficie, quæ quotidie crescunt, usque dum ad maturitatem sub colore flavo & purulento intra octiduum perveniant; a quo tempore exarescere, squamasque formare incipiunt, quæ parvo temporis spatio decidunt, relictis parvis minimeque profundis vestigiis. Talem simplicissima & benigna variolarum species, qualis fere semper in inoculatione obtinet, eventum fortitur.

In omnibus symptomatibus necessaria adhibenda est cura atque cautela, quo natura, auxilio diluentium, ita operetur, ut semper facit, nisi perversus usus & iniquus tractandi modus præcedat. In

acerbis



acerbis capitis doloribus delirio commixtis &c. ex constipatione praecipue ortis, plerumque leve clysterium ordinavi bono cum successu, si vero id minus voto responderit, venæ sectionem in brachio, quæ pustularum expulsionem accelerat, institui; sæpe quoque hæmorrhagia narium, optimum medellæ naturalis signum, venæ sectionem prævertebat. In ventriculo autem perturbato & gravi humorum superfluatorum sarcina onusto, quos vomitu expellere ocyus nititur, oleum cum pleno aquæ tepidæ haustu suffecerint; emetica enim lenia, mitia, & temperata, maxime naturæ conatibus auxiliantur. Nunquam propinentur in hoc morbo, ut monet Doct. Harris, dissert. p. 40. *Emetica fortia, vebementia, violenta, quæ conturbant corpus inflammatum, quæ amplius incendunt, quæ nixus vomendi nimis intendunt, quæ naturam horride perturbant, & sursum ad caput humores inflammatos attrahunt, atque ea ratione incendium febrile reduplicant aut triplicant.* Diarrhæa raro vel nunquam restringenda vel cohibenda est. In gutturis raucedine & infectione nihil præter sæpius repetitum aquæ frigidæ haustum cum succo Citri mali mixtum requiritur. Dysuria lenitur clysterio molli, copioso emulsionum dosi, cum sal. prunel: vel nitro purificato.



In infantibus convulsiones, quæ nihilominus benignarum variolarum omina sunt, per Epispastica refrenentur. Æqualis quoque calor per omne tempus, quo pustulæ erumpunt, summopere necessarius est. Ab omnibus denique delassationibus, quantum pote, abstinendum est. Cum ægotans in morbi culmine forsitan dormire & quiescere nequeat, Diacodium vel Tinct: Thebaic: prout id occasio offert, dari poterit. Quantum porro a cibis solidioribus abstinendum sit, non est quod moneam. Cibi quoque quales sint, leniores & ad concoquendum faciliores, facile a quolibet artis perito præscribi poterunt. Pro potu aquam limpidam puram vel tosto pane mulsam omnibus aliis liquoribus præfero, experientia enim in hoc quoque meam confirmavit opinionem, vigesima enim quarta die mensis decembris anni 1746. propriis duobus infantibus variolas in se vi, quorum maximus natu, tum nondum sextum annum excedens, numero sissima variolarum copia, inter duodecim eadem die inoculatos, afficiebatur, atque licet pustulæ primo exortu minimæ & male ominantes apparuerint, attamen copiosa dilutione aquæ frigidæ (quam etiam solummodo bibebat) in tali statu temperato & quieto semet continebat,

abs-



absque ulla gutturis afflictione vel difficiliori symptomate, ut sine ulla alia medicina, pustularum complectionem corrigeret & ad maturitatem summa cum perfectione produceret, quod soli aquæ frigidæ tribuo, ut quæ ipsum vegetum semperque resectum conservabat, atque naturam minime, ut sæpe medicamentis, aliisque liquoribus fit, disturbabat.

Quæ hætenus protuli, de iis tantum intelligenda sunt, qui vitam suam modice & medice transegerunt; alii enim qui intemperantiæ in cibo potuque indulserunt ac eam adoptarunt, adeo sunt alterati atque immutati, ut nullum regimen, quam intemperantiam ipsam, admittere possint.

In confluentibus autem variolis, quæ tamen raro admodum methodo inserendi applicata apparent, febris multo malignior eruptionem comitatur, pustulæ tenues planæ & pessimæ conditionis oriuntur, neque unquam ad suppurationem istam benigniorem reduci possunt, ita ut harum successus magna ex parte dependeat à tumefactione capitis, faciei, aliarumque partium, cui occurritur larga liquorum diluentium dosi; attamen cum hoc genus summopere sit inflammatorium, venæ sectiones crebrius repetitæ & copiosiores institu-



endæ sunt, quo lentor sanguinis aliàs, per venas diffundens, totamque sanguinis massam contaminans, è medio tollatur. Alvi quoque excretio per lenientia promovenda est. Etiam sal prunel: & nitr: purific: frequentesque emulsionis haustus adhibiti multum profunt. Sin autem urgeant vomitiones & nausea pulveres & mistura subsequens egregium præstabit effectum.

℞. Pulv: e Chel: Cancr: comp: ℥ij.  
ol: nuc: mosch: gutt. vj. m.

pro iv. vel vj. dosibus. Et detur tertia vel quarta quaque hora cum cochl: iij vel iv. sequentis misturæ.

℞. Aq: Alexit: simpl: ℥iv.  
— Nuc: Mosch:  
Syr: Limon: aa ℥iss.  
Sal: Absinth: ℥ij. m.

Incremento hoc morbo, opiata interdum magnopere conveniunt, ad sanguinis ardorem & effervescentiam restinguendam, hac tamen cautela, ut, delirio exinde orto, omittantur; ipsorumque effectus deducatur per clysterium, vel medicamenta purgantia leviora.

Die



Die septima vel octava variolarum, capite sum-  
mopere affecto, Epispastica mirum conveniunt;  
eorum autem effluxus ad suppurationis adventum  
usque continuandus est, quæ suppuratio raro ante  
duodecimam vel decimam tertiam oritur diem.

Salivatio, quæ interdum eruptionem statim sub-  
sequitur, interdum biduo vel triduo post eam de-  
mum succedit, continua potatione pectoralium a-  
pozematum & emulsionum cum nitro producen-  
da est.

Imprimis vero ventris purgatio sæpius repetita  
per totam morbi periodum convenit, at leni ta-  
men medicamento uti oportet, cujusmodi est *in-*  
*fusio senæ, adjecta manna* aut *manna sola*, quæ u-  
sum opiatorum impedit & molesta accidentia præ-  
vertit; quantum hujusmodi methodus curandi  
succurrat, sequens exemplum indicabit.

Robustissimus quidam juvenis quem modo adeo  
terribili infestaverunt variolæ *confluentes*, quinta  
die adeo furebat, ut lecto contineri non potuerit.  
Cum alvi exonerationem per aliquot dies non habu-  
erit, dedi ipsi sex drachmas salis mirabilis glauberi in  
juscule avenaceo dissoluti; quæ, præter expecta-  
tionem, alvum ejus decem ad minimum vicibus  
duxerunt, quo facto per aliquot noctes egregie  
&



& placide quievit, crebra quoque repetitio drachmatis unius vel duarum qualibet vice alvi sui ductum & minctionem quotidie promovebant, undecima demum die sub nocte tumefactio capitis & faciei adeo increfcebat, at necessarium videretur vesicatoria applicare, ut tensionibus occurreretur; salia quoque eadem nocte pro more dabantur; proxima die versus vesperam in sincipite materia apparebat, unde crisin appropinquantem concluderam, tumores circa collum & guttur ejus ea nocte admodum increfcebant, & quoniam admodum erat inquietus, somnum ejus forti anodyno arcessivi; proxima die pus majori copia effluebat, quare spe felicitis successus mihi adulabar. Tensiones interim eadem manebant, imo magis circa collum, guttur, aliasve corporis partes intumescabant, ac plane irrequietus discumbibat; quare anodyni reiterationem instituebam, & sic quietam satis noctem ipsi procurabam; hoc tempore superficies capitis & faciei indurescebat, crustaque continua obducebatur, quæ nonnullis locis rumpebatur, atque prodigiosam puris copiam protrudebat odori tam gravi, ut in cubiculo morari nemo ex domesticis sustineret, quam materiam lintheis mollioribus sæpius detergens, alvumque ejus reite-



reiteratis vicibus ciens, ita auxiliante summo Numine lecto fatali liberatus successivis purgationibus, quantum ferre poterat, vires suas gradatim recuperabat. Notandum autem est, hunc juvenem ex communi infectione, non vero inoculatione, hoc morbo afflictum fuisse.

Naturæ infirmitatibus, durante hoc morbo, assistendum est medicamentis cordialibus, ut *Confect. Raleigh Cardiac. Volatilibus.* &c. ut & largis liquorum leniorum dosibus; tempore enim quo cordialia corroborant, diluentia materiam morbosam in pustulas protrudunt.

In gutture affecto *gargarismata* emollientia & detergentia adhibenda sunt, liberalis porro usus clismatum pro rerum circumstantia necessarius erit.

Declinante hoc morbo medicamenta lenia & solventia quotidie vel omni biduo dari poterunt, si natura ipsa eorum necessitatem non prævertit; tum enim purgationes differendæ sunt, usque dum ægrotans vires majores recuperaverit.

Oleum amygdalarum dulcium, vel aliud dulcis olei genus, exarescentibus pustulis, squamas admodum mollit ac citius tollit. Apostematum, quæ interdum post variolas oriuntur, suppuratio brevi tempore sine difficultate promovetur, atque facta ope

C

Phle-



Phlebotomi Sectione, linteo sicco cum Emplastro communi applicato curantur. Interdum quoque, antequam suppurarunt, incisionem institui, atque emisso sanguine biduo vel triduo curavi absque ulla repullulatione.

Isti denique parti, ubi ad inserendum incisio facta est, quam primum symptomata apparent, cura nostra quotidie adhibenda est, ad crustæ separationem accelerandam, & excretionem proprio & idoneo tempore promovendam; tali enim modo naturæ, sub continuo effluxu, magnopere succurritur ad pus eliciendum, quod proprio instinctu recessum petit istum, per quem venenum primo communicatum fuit. Summa hinc quoque Theoriæ perspicuitas in arte inserendi apparet, quod levis ista incisiuncula sanationem non admittat, priusquam totus morbus penitus extinctus fuerit.

Hic nunc vela contrahere possem, nisi levis monitiuncula restaret circa medicinale aliquod regimen ante operationem & curæ institutionem necessarium. Differt autem istud pro ætatis ratione, corporis habitu, & aliis ægrotaturi circumstantiis: In plethorico venæ sectio, vomitio, &c. semper sunt commendandæ, in  
te.



tenuiori constitutione infusio corticis Peruviani lenior post vomitionem & purgationem benigniorem magnopere confert. Robustioribus complectione Æthiopem mineralem vel Cinnabarem post venæsectionem fortioremque purgationem, unâ cum lactis usu per quatuor vel sex hebdomates ante operationem bono cum successu præscripsi. In valetudinariis porro, pro variis valetudinis circumstantiis, curæ & cautelæ necessariae sunt præmittendæ Radices Ipecacoannæ ad vomitus ciendos omnibus aliis medicamentis præfero; ad alvos ciendas varia pro temporis constitutionisque circumstantia conducunt. In robustioribus, ubi vel vermes vel alias suspicabar impuritates, hæc pulveris Mixtura nunquam expectationem meam fellit.

℞. Pulv. rad. Jalap. p. iij.

Cinnab. nativ.

Calomel. singulorum p. i.

m.

Duo hujus pulveris sempuli in infirmioribus & grana 50 in robustioribus suffecerint, in delicatioribus vero purgationes leniores per Rheum vel Infus: sennæ cum sale glauberi præfero.

In omnibus ægrotantibus cibi potusque for-



tioris abſtinentiam omni modo ſuaſi, purgationes quoque longo tempore ab operatione ipſa inſtitui, quo corpus, inſitionis tempore, pleno & pacato in ſtatu ſit, & ita continuetur per regulares corporis motus tempus ſtratis incubandi, ſomnumque capiendi & ſurgendi exactum, uſque ad ipſum variolarum obortum.

Hæc ſunt, quæ pro inferendis variolis proferre potui, & ad earum curationem diuturna praxi neceſſarium deprehendi. Non eſt, quod excurram in orationem longiorem, qua demonſtrem, quantum hæc methodus inferendi variolas modo & infectioni naturali præponenda ſit, & ad generis humani conſervationem, primum omnium actionum Medicarum ſcopum, conducat; ipſe enim morbum hunc ſexcentis & pluribus infecti, & non niſi quatuor ex omnibus his vitam cum morte commutarunt, quorum letho alias assignare probatas cauſas non foret difficile, ſi temporis ſpatium id permetteret vel animus nondum eſſet manum de tabula trahere, finemque exegeſi imponere.

F I N I S.

TRAJECTI AD RHENUM  
EX OFFICINA IOANNIS BROEDERII  
ACADEMICE TYPOGRAPHI MDCCLV